Quodlibetica Quaestio disputanda in Scholis Medicorum die Jouis 4ª Martii.

Praeside Literatissimo Viro Michaële Marasio D. Medico.

An Venus Morbos gignat, et pellat?

Semen toto corpore undequaque deciduum, spiritu et humore praeditum prolificum est; si grandiusculum, spirituosum, vetus, cito, communiterque ejaculatum sit: contrarium autem, aut siccius, aut frigidius, aut aquosius, quale est ~~[illegible]~~ Ebriosorum, frequentiusque venereum: ad quod facit fervidior concubitus, vel etiam immitas, sed maxime ob nimium coitum perpetuus uteri hiatus.

Virile semen, purum et commixtum nactum uterum, aut natura parem aut imparem, muliebrique semine, et puriore menstruo alitur: ex quibus ad omnes generis partes formandas substantiam desumit: unde sibi simile, aut quam proximum sui generis speciem relinquit, alias aut diaeresin, aut foetum morbidum parit.

Ultra generationis commodum, venus et sanguineis, aetate florida, veris, assuetis victu liberaliore utentibus, potissimum autem jam imaginantibus, non sine noxa supprimitur: ita si tempestiva et moderata fuerit: mentem impeditam solvit, melancholias (si quid aliud) curat, biliosos refrigerat, iratos mitigat, et stupidos, tardosque, pituitam excutiendo reddit alacriores.

Quae autem naturae impetum reddit non leves noxas affert, sed quas viri potius, quam mulieres praesentiant. Quoniam laedit memoriam, rationemque imminuit, nervorumque firmitati officit, vel plurimum: vitalem cordis spiritum exhaurit, animumque vitalem effeminat, hepatisque benigniorem succum praeripiens, stomachumque subvertens, totum corpus emaciat: pallidum et languidum reddit.

Immundus pudendorum affectus, tetrique spiritus ex corrupto semine egredientes, luem Hispanicam parit, quae vario obsessum corpus pro temperamento laedit, et exagitat: biliosum enim ulceribus malignis foedat, pituitosum defluxionibus implet, sanguineum scatere facit variis abscessibus, saepe tamen aliquando. Et huic divino morbo solo occurritur illitu ex hydrargyro ad apostasis usque: nihil aut parum conducente ad hoc guaiaci potione. Ea tamen minus quae ex echyno fiebat.

Venus igitur morbos gignit et pellit.


F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Asserebat Joannes Heruaeus. 1546.